



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. de Multipraesentia Rei finitae.
2. Tr. de Contradictionis Natura et Principio.
3. Tr. de Oppositione Enunciatorum.
4. Pansophia liberalis Tabellis repraesentata.
5. Disquisitio Magnetica.
6. Tr. de Notitiis naturalibus.
7. Tr. de Cognitione humana universa, duabus Exercitationibus comprehensa.

DE RELIQUIS CIRCA EXEMPLUM CHRISTI POSITIONIBUS, ET PRÆSENTIA EIUS IN HIS TERRIS.

Respondente

DANIELE ROSENOVIO, Sternbergâ Megapolitano.

THESIS XC.

AN ubiq; sit etiam extra mundum, *in spatijs infinitis imaginarijs, quod ad veram Ubiquetatem requiri* f. 2. §. 7. de ess. alic. seq. *ostensum, quia Scriptura non revelat, nec ita loquitur*, non liquet. *Nusquam Scriptura promisit, Christum hominem ita ubiq; futurum. Et* extra promissa, quibus tota hæc res, & nostra fides nititur, sapere velle, nimis audax est. Deo suarum proprietatum & libera administratio, & justa defensio, relinquenda. Nobis ex Verbo ipsius sapiendum est. *Cumq; talis præsentia ad spatia etiam infinita, nec Mediatoris præsentia sit, nec fini Mediatorio inserviat, cujus tueri, fovere, regere, servare, salvare, præesse, est, quod in spatijs imaginarijs extra mundum, ubi nihil nisi vacuum, vanè quæras*, extra Scripturam definire, aut de eo litigare velle, temeritatis notam non præteribit. *Satis nobis in eo sit, quod revelatum de Christo ex Scripturâ habemus, & in quo acquiescere Christianum decet. Quâ de re* solidissimus Theologus, D. Chemnitius l. d. duabus nat. c. 30. *utiliter legi potest.* Pulcrè Ambrosius contra Symmachum: Cœli mysteria me doceat Deus ipse, qui condidit, non homo, qui seipsum ignora-

vit. Cui magis de DEO, quàm DEo, credam. *Omnia implere nondum est ubiq; esse. Sed hoc longè* plura *requirit, ut* nusquam adessendi finem habere, aut habere posse, etiam adsit, *quod de carne Christi asseri nequit.* V. §. 77. *Et cruda illa* de præsentiâ Christi hominis loquendi genera facessant, *Christum hominem in omnibus claustris, cantharis, pomis, pyris, &c, esse. Qualiter nec Scriptura unquam loquitur, nec Christianum Scripturâ destitutum loqui fas est.*

Imò quibusdam Nostratium *apertè reprobantur.* Chemnitio c. l. p. 230. Selneccero in recitat. Heshusio in Colloq. Quedlinburg. D. Chytræo in epist. Rungio c. 1. ref. Cateh. Ubiq. p. 13. seq. Form. Concord. ejusdemque Apologiæ art. 8. D. Huttero in Form. Conc. a. 8. p. 939. Osiandro in Form. Conc. p. 439. 495. Gesnero in eandem a. 8. Jac. Andreæ lib. con. mendacia Calvin. p. 208. Ailbero cont. Borichium n. 175. 176. seq. Kesslero resp. bell. Ubiquet. c. Forerum l. 1. s. 2. c. 1. D. Mentzero p. 17. Anti-Mart. *Ubi*, Non est, ait, quòd vociferentur de præsentiâ in arboribus, lapidibus, & cantharis. Hæ enim voces & cogitationes sunt à pijs Christianis alienæ, qui didicêre Christum quærere in verbo, non in suis speculationibus. *Similia* alii *habent.* Fermè *enim ista loquendi genera* inclusionem localem *important, ut benè* D. Rungius c. l. *Et quia* præsentia Christi personalis est, non naturalis, localis, essentialis: nec phrases tales de eâ admittit analogia fidei, quæ localem inclusionem subinferunt, ut verè D. Hutterus c. l. Conf. & Colloqu. Hertzbergense p. 48. 49. *Et in universali præsentiâ Scriptura potiùs creaturas in DEo, quàm DEum in creaturis esse dicit,* Act. 17. v. 28. Conf. s. 2. §. 18. 34. d. Eff. alic.

91. *Hic iterùm* varij è Nostris Theologi *consentiunt*, Et in rebus fidei in istis, quæ revelata habemus, *sistendum, non ultrà cogi-*

cogitatûs fræna laxanda esse, tutissimum simplicitati Christianæ judicant. D. Mentzerus in Anti-Mart. p. 18. Vt tuum consilium, ait, Martini, sequar, præcido hic disputationem de Vbiquitate, qualem qualem definias, & adduco te ad præsentiam in Ecclesiâ & Sacramentis. Dixi enim, ad hunc finem totam hanc disputationem tendere, ut vera præsentia Christi DEI & hominis in Sacramentis & Ecclesia juxta verbum DEI asseratur. *Hic ergò jam consistamus.* Idem p. 14. In hâc totâ disputatione illi progrediuntur rectissimè, qui ex Solo DEI verbo cum Ecclesiâ Orthodoxâ sentire, & loqui student. Pag. 227. Profiteor, si præsentia Christi DEI & hominis non solâ deitate, sed & personaliter unitâ, & ad dextram Patris omnipotenter regnante humanitate in Ecclesiâ, Sacramentis, & medio inimicorum, secundùm Sacrarum litterarum tenorem sincerè credatur & doceatur, nolle me cuipiam molestum esse ulteriore disputatione, sed acquieturum his Solis phrasibus, quæ de hoc mysterio in Sacris litteris sunt expressæ, *& reliqua omnia in Academiam cœlestem dilaturum.* Contra Sadeelem de comm. Idiom. p. 26. c. 1. Nisi Cinglius & asseclæ veram & Substantialem Corporis Christi in S. Cœnâ cum pane præsentiam & manducationem negassent, *minimè tantâ acerbitate de hoc doctrinæ capite*, Vbiquetate, *disceptatum fuisset.* Ac ne nunc quidem de eâ quisquam litem adversarijs moveret, si præsentiam Christi hominis, seu secundùm humanam Naturam, in Ecclesiâ & Sacramentis verè & sincerè crederent & docerent.

D. Chemnitius d. duab. Natur. c. 30. Quando, & de quibus expressum in Scripturâ habemus verbum, institutionem, ordinationem, promissionem, de præsentiâ totius Christi etiam secundùm humanam Naturam, illud simpliciter retineamus. *Nec per quascunq;* argumentationes *inde nos abduci pa-*

ci patiamur, quaſi fieri hoc non posſit ſalvâ veritate ejus. Sed ſtatuamus, filium DEI ea præſtare poſſe, de quibus in Scripturâ promiſſum & ordinationem tradidit. *Nec* ab abſolutâ filij DEI poteſtate argumentemur: *ſed ſemper in hac diſputatione conjungamus,* velle, poſſe, fieri ſeu eſſe. Reliquas quæſtiones, de quibus non habemus tàm expreſſum verbum vel promiſſionem, in medio relinquamus, ac ad futuram Cœleſtem Scholam differamus, *ubi gloriam Chriſti fratris noſtri facie ad faciem videbimus.* In eodem capite *multa ad hanc rem pertinentia habet.* Poſtea: De quibus expreſſa habemus Scripturæ teſtimonia, *ea de humanâ Chriſti Naturâ credimus, prædicamus, & aſſeveramus.* Reliqua ad æternam Cœleſtem Scholam reijcimus. Saxonici in deciſione 4. quæſtionum, p. 51. Licet porrò urgeatur, quòd cum Chriſti caro unita fuerit & manſerit τῷ λόγῳ in ipſâ etiam profundiſſimâ humiliatione, filius etiam Dei idiomata ſua realiter carni communicârit, idcircò ſequi, quòd *Chriſtus ſecundùm carnem plenariam uſurpationem divinorum iſtorum idiomatum non retrahere vel ſuſpendere potuerit:* Haud tamen licet in ejuſmodi divinis myſterijs tales conſequentias nectere, vel plus inferre, quàm in verbo Dei præſcriptum eſt. Imò præſtat DEo gloriam dare, *& firmiſſimâ fide credere,* quòd & *incarnationem filij potuerit perficere,* & propter *ſtatum exinanitionis in carne à plenario uſu divinarum propietatum abſtinuerit. Apud DEum n. non eſt impoſſibile ullum verbum.* In ſolius Dei arbitrio poſitum eſt, quando & quomodo omnipotentiâ, bonitate, & juſtitiâ ſuâ operari velit. &c. *Ita* Lutherus præſentiam Chriſti in Cœnâ ex verbis inſtitutionis *probandam dixit*, Ubiquetatem *reſecandam eſſe.* To. 8. Jen. f. 374. *Quod fatetur* Chemnitius p. 2. exam. Conc. Trid. d. Cœna, c. 1. can. 1. p. 65. Et Helmſtadienſes Theologi *in ſcripto ad Principem ſuum anno 89. edito.*

Quan-

Quanquam alij è Nostris Philippo Melanchtoni *dictum id tribuere malint. De quo* Hutterum in form. Concord. p. 825. 826. & c. 1. Concord. Conc. Keslerum co. bell. Ubiq. Foreri l. 1. s. 1. c. 5. 6. *vide. Ex adverso alij omninò* Lutheri *esse volunt, de quo novissimè disceptantem* Forerum in absters. fulig. c. Keslerum l. 1. s. 1. c. 5. 6. vide. Cujuscunq; sit, *verissimum est: nec ab apertis Christi promissionibus & institutionibus ad disputationem de Omnipræsentiâ confugere necessum habemus.* Quòd possit adesse, *ex unione, communione, exaltatione, probamus:* Quòd velit, ex solis promissionibus & institutionibus. V. §. 84. *Similia ex* Chemnitij epistolis, Confessione Saxonicâ, Kirchnero, Selneccero, Brunswicensibus & Rostochiensibus, ap. D. Hutterum Conc. conc. c. 47. *vide.* Eadem ap. D. Rungium c. I. & Apol. Form. Conc. c. 9. In Colloquio Hertzbergensi p. 45. 46. sequ: & p. 93. Affelmann. in Censur. c. Lampad. p. 73. *repertes. Ita Illi. In quibus* & ego sistendum hic, *omninò existimo.*

92. Pauca, quæ ad hanc rem moveri possunt, *expedienda restant, priusquam materiam hanc concludamus.* Dices 1. Humanitas Christi in infinitam hypostasin est assumpta, in quà indistanter & totali perichoresi subsistit, §. 82. E. & omnibus simpliciter spatijs & locis adesse oportet. *Subsistentia enim divina omnibus simpliciter adest. Præsentiæ autem ratio sequitur in rebus subsistendi rationem, Vt* §. 80. *concessum. Et secùs solvitur Christus, si non & humanitas cum divinitate ubiq; adsit.* R. 1. Cum Chemnitio hic dicam ex c. I. *Quod ex eo repetit* D. Mentzerus dis. de 4. quæst. t. 45. Scio, ex hoc fundamento hypostaticæ unionis Dialecticis argumentationibus & consequentiis multa ac varia colligi & extrui posse. *Sed quod scriptum est,* Lucerna pedibus meis verbum tuum, illud præcipuè in arcano hoc mysterio observandum est. Et simplicio-

pliciores Ecclesiæ filij modestam hanc simplicitatem omnium tutissimam judicant, ut de hoc mysterio ex nostris consequentiis & argumentationibus sine expressis Scripturæ testimonijs nihil statuamus, sed potentiam DEi cum voluntate ejus in verbo patefactâ conjungamus, *& totam hanc doctrinam non ad curiosas disputationum subtilitates, sed ad veram consolationem referamus.* Vide &, *quæ contra tales consequentias extra verbum formatas graviter solideq́, scribat* Lutherus T.3. Jenes. p. 529. *Contra* Concomitantiæ *delirium disputans, & quomodo non admittendas doceat.* Hinc infero: Etiamsi hoc qualitercunque nostrâ consequentiâ ex subsistentia infinitâ sequeretur, *non tamen colligendum, quia verbo revelante destituimur, Christum secundùm humanitatem in infinitis spatijs adfuturum. Præsentia hæc Mediatoria, Oeconomica, & peculiaris pacti est,* Non Naturæ, *adeoq́,* nec consequentijs ex Naturâ rei petitis, *pro rationis arbitrio citra Scripturam determinanda.* §. 89. 90. 91.

93. 2. Negatur Consequentia. Subsistentia infinita *data est humanitati, non* ut causa Naturalis omnium consequentium *ex eâ, & sic præsentiæ infinitæ simpliciter ubiq́, etiam extra mundum*: Sic enim *& infinitam, æternam, increatam, independentem, faciet humanitatem Christi, Talis n. Subsistentia Verbi est, quæ* ἀσύςατα*: Non n. â Naturâ subsistentiæ ad eadem de eo, quod in eâ simùl subsistit, affirmanda procedendum,* V. t. 80. *Sed* ut magis moralis, voluntaria, ac dispensativa, quæ Mediatorij finis gratiâ *certo tempore effectus in eâ gloriosos conciliet, & exaltatione etiam subsequente eam adesse*, ubicunq; adfuturam promissum est, *faciat. Non enim à puncto conceptionis ubivis Christi human: fuit, omnia scivit, vidit, gubernavit,* Vid. c. 1. *Sed se exinanivit, & in multis se usu abdicavit.* V. §. 98. 100. *Pati & mori Christum oportuit, & sic demùm in gloriam ingredi.*

Luc.

Luc. 24. v. 26. Conf. Psal. 110. v. 7. Hebr. 2. v. 9. *Imò* ne in subsistentiâ naturali, *& illis, quæ* naturalem unionem & subordinationem habent, *à modo præsentiæ unius, ad alterius uniti præsentiam, statim procedere licet. Sic* Corpus humanum *est essentialis pars compositi cum animâ, quæ Spiritualis, inextensa, & indivisibilis, adeoq;* Spiritualiter, inextensè, indivisibiliter, tota in toto, & qualibet totius parte est, *ubicunq; est*, t. 34. *Nec tamen quuquam colligere audet, E. & Corpus, altera & naturalis compositi pars, Spiritualiter, inextensè, totum in toto & parte adest. Nec de composito, homine, id procedit. Nec ergò præsentia subsistentis in Christo, statim de parte denominanda.* Variè n. denominationes hæ se habent, ut *partibus interdùm non competant*, t. 85. 3. Quod in infinitam hypostasin trahitur essentiali uniendi modo, *ut vel in ipsam hypostasin immutetur, vel pars essentialis, aut modus & attributum essentiale ejus fiat, id infinitis spatijs simul cum eâ adesse poterit, omniaq;, quæ essentialiter subsistentiam infinitam consequuntur, participare: Non autem,* si modo uniendi non essentiali eò trahatur. *Tali modo in infinitam hypostasin tracta est caro Christi, personali nempe, ut pars personalis personæ compositæ esset, non essentialis. Vnde non statim omnia consequentia de eâ enuntiare oportet.*

94. 4. Indistans unio & totalis immeatio *humanitatis ad λόγον præsentiam, ut quidam vocant, cum rectiùs unio diceretur,* V. s. 2. §, 24. de essl. alicui. *intimam hominis ad verbum, & verbi ad hominem, non præcisè* extimam, hominis cum verbo ad extantes creaturas, *importat, quæ toto genere & Cœlo à priori distat,* ut si omnes Creaturæ annihilarentur, *nullisq; ad extra præsens esset aut humanitas Christi, aut verbum, omnibus nempè Creaturis annihilatis,* unio tamen personalis carnis ad verbum, & verbi ad carnem Christi, indistans & indissolubilis maneret, *sicut & extra respectum ullius creaturæ, vel extantis vel*

non extantis, facta est, in ipsam hypostasin verbi attrahendo eam, ut extra illam nusquam quæri aut inveniri debeat. Non autem ab internâ illâ receptione in verbum, ad præsentiam ad creaturas omnes, vel etiam spatia infinita extra mundum, est argumentandum. Magnum enim inter utramq; discrimen. Illa indistans est, & verbum sic in carne, ut extra eam non sit: Hæc ad creaturas distans, *sic enim & DEus, & humanitas Christi, creatis adsunt, ut simul sint extra illa. Intra omnia enim DEus, sed non inclusus.* f. 2. d. E. A. t. 18. Illa inseparabilis est, hæc *separabilis, quia & extra creaturas DEus est, & abolitis omnibus creatis adesse cessabit.* V. f. 2. c. l. §. 20. *Illa perichoretica & circumincessiva totali permeatione est, ut verbum totam carnem permeet, & caro à toto verbo permeetur:* hæc *ad creaturas minimè.* Illa intima est, *& respectu ad creaturas caret:* Hæc *extima, & per respectum ad creata definienda.*

Illa realissimam unionem *DEI cum homine, & hominis cum DEO importat:* Hæc *minimè. Non enim DEus ex præsentiâ ad creaturas illis statim unitus dicitur, nec ex DEO & creaturis unum quid fit, quod ex unione resultare solet.* V. tr. d. eff. alic. f. 2. §. 18. Illa *immutabilis:* hæc *cessantibus creaturis, desinere potest.* Illa *evacuari in humanitate non potuit, quin & in mediâ morte Caro verbo personaliter unita mansit, etsi anima â carne naturaliter separata fuerit:* Hæc *in statu exinanitionis potuit, ut nec omnib. humanitas adesset, nec omnia creata incessanter regeret.* Evacuavit n. Christus semetipsum secundùm carnem. Phil. 2. v. 7. V. §. 80. Illa *reali communione naturarum & proprietatum constat:* Hæc *sine eâ est.* Illa *carnis ad infinitum verbum est: Hæc carnis ad entia creata & finita.* Finitum autem & infinitum proportionem æquipollentiæ & adæquationis non admittunt. Illa *carnem Christi in consortium S. Trinitatis infert, quà secunda Trinitatis persona jam ex DEO & homine est composita:*

composita: Hæc *ad creaturas extra illud eam relinquit.* Ex his patet, *ab intimâ illâ carnis ad λόγον præsentiâ, & rectiùs unione,* V. ſ. 2. d. eſſ. alic. t. 41. *non ſtatim inferendum ad præſentiam ejus* cum ſubſiſtentiâ externam eſſe, vel *ad creaturas omnes ſimpliciter*, vel ad omnia ſpatia ſimpliciter, *etiam infinita extra mundum.* V. §. 80. *Sed hic opus eſſe moralibus promiſſis, inſtitutis*, juſſis, determinationib. & modificationib. quæ omnia ex Scripturâ oſtendenda erunt, priusquam ad aſſertiones eorũ temerariè procedatur. *Nec ſolutio Chriſti hinc ſequitur, quæ tùm demùm eſt*, cum humanitas ipſi Verbo unita eſſe negatur. *Quod per hoc non fit, etiamſi ubiq́ eſſe, aut in exinanitione omnib. creaturis præſenter regendo adfuiſſe negetur. Nec ſatis cautè ſolutio Chriſti ſtatim hinc infertur, Vt ex differentijs aſſignatis patere poteſt. Res* varias difficultates *in explicandâ fide concernit, non ipſius fidei præcisè ſubſtantiam.* V. ſ. 2. d. Eſſ. al. t. 36. 37. 38. *Deniq́* 5. Quod in infinitâ hypoſtaſi ſubſiſtit, cum eâ ubiq; eſt, niſi ſc. ab ipſo DEo inpedimentũ objiciatur. *Hic n. ut Cauſa unionis talis eſt: ita & liberè obices quosdam injicere poteſt, ſi* Certorum finium gratiâ *actus ſecundi in humanitate ſuſpendi debeant. Quod in Chriſti humanitate factum, Vbi adesſentia* ſimpliciter infinita nullius uſus a. fructus pro officio Mediatorio eſt, §. 86. 87. eoq; *nec de eâ temerè aſſerenda eſt. Sic & in exinanitione ita ſubſtitit, nec tamen facto ubiq́ fuit, quia finis ſtatus iſtius obſtitit.* V. §. 80.

94. 2. Ubi totum eſt, ibi omnes partes eſſe neceſſum eſt. Sed totum, verbum divinum, carnem ut partem in ſubſiſtentiam ſui aſſumens, ſimpliciter eſt ubique, etiam in ſpatiis infinitis extra mundum. E. & partem, carnem, ibi adeſſe neceſſe eſt. R. 1. Ubi totum, ibi & partem eſſe oportet, ſed in ipſo toto & intimè, *non ſemper extimè, ut & de parte præſentia ſpecialiter denominetur*, §. 85. 86. 2. Valet de par-

te, *ſed* quæ eſſentialiter & naturaliter pars ſui totius,& ſic *cum toto unita eſt, & reſpectum eſſentialem ad illud habet, & eſſentiam totius complet. Sed caro non eſſentialiter cum verbo, ſed* perſonaliter *unita eſt, nec reſpectum eſſentialem, ſed extraeſſentialem, quem ex ſpecialitate unionis perſonalem vocamus, ad verbum habet, nec eſſentiam verbi, quod perfectiſſimum & infinitum eſt, ut à nullâ re compleri poſſit, complet, ſed in illud perſonaliter aſſumpta eſt*, ut ipsâ aſſumptione completior & perfectior in ſubſiſtendo facta ſit, non ipſa ſubſiſtens ſuum, quorsùm tracta eſt, perfecerit. *In tali parte prorsùs extraordinariâ, non ſemper valere tenentur, quæ aliàs de totis naturaliter ſe habentibus ad partes ſuas deducere ſolemus.* Moralia hic omnia *& ſupernaturalia in Chriſti præſentiâ ſunt, non naturalia*, V. §. 89. 93. 3. Ubì totum, ibi omnes partes, Ut ſcil. illæ à toto non ſint excluſæ, *non tamen ſtatim*, ut denominatio præſentiæ ad ipſas partes ferri debeat. *Sic pedes hærent in luto, à quibus non abeſt anima. Non tamen dicere audes, animam in luto hærere.* Conf. t. 85. 4. De præſentiâ naturæ, & naturaliter conſequente, etiam plura inferre liceat. *Præſentia autem Chriſti DEi hominis eſt* Mediatoria, ſingularis, moralis, magis, verbo & promiſſionibus nixa, *non quæ ex infinitate ſubſiſtentiæ Verbi noſtris ſpeculationibus velut naturaliter deducenda eſt.* Verbum autem & promiſſionem non habemus, *Chriſtum hominem in ſpatijs infinitis extra mundum adfuturum*, V. t. 80. 90. *Et totum in Chriſto propriè* ſuppoſitum, *Deus hominem unitũ habens, & homo Deo unitus perſonaliter exiſtens*, perſona tota compoſita ex DEo homine eſt, *non ſolum verbum carnem in ſubſiſtentiam aſſumens.*

95. 3. Chriſtus homo omnia implere, Eph. 4. omnia ſub pedibus ſubjecta habere, ſuper omnia exaltatus eſſe, nomen ſuper omne nomen nactus eſſe, & poteſtas in cœlo &

lo &

lo & terrâ ipsi data esse dicitur. E. & omnibus simpliciter rebus adesse oportet. R. Ex his dictis, *ubi ad summum res deducta fuerit, Christum omnium creaturarum dominum factum esse, illuq; adesse posse, & quibus promissum est, facto adesse, sequetur*, quod non negamus. Simpliciter ubiq; & extra creata & mundum humanitatem ejus esse non *sequetur, nisi promissa habeas*. Omnia implere *dicitur, sed in Ecclesiâ, ut* D. Mentzerus *explicat*, V. §. 88. Omnia subjecta habere, *super omnia exaltatus esse*, sed creata. *Extra creata in spatiis infinitis extra mundum Scriptura carnem Christi nusquam collocat. Et dominium super ea, quæ non extant, etiam propriè esse non dicitur.* Divinam essentiam *in spatiis infinitis ponimus, quia immensa & simpliciter infinita est.* V. f. 2. §. 6. 18. de ess. alic. Humanitatem Christi *eò non locamus, quia* nec infinita *aut immensa, sed finita*; nec per essentialem immensitatem Naturæ *suæ præsens in multis est, sed unionem personalem, subsistentiam verbi communicatam, secutam ad dextram DEi super omnia exaltationem, & officij Mediatorij administratione, quod ad spatia imaginaria extra mundum* nec *respectum*, nec *promissum*, nec *usum aut finem habet*. V. t. 90. 87. 88.

Præsentia Christi hominis divina *dicitur, sed* non immediatè, *q. ipsius essentia divina immediatè esset, & sic essentialis ubiquetas esset: Verùm* mediatè, quòd ex unione cum DEo resultet, DEi & hominis simùl sit, divinâ virtute perficiatur, *divino modo fiat, non humano, crasso, naturali, & ad divinum finem, officium Christi Mediatorium, tendat, ac â DEO promissa sit. Hæc talis erit, qualis promissa est. Essentialem Ubiquetatem esse non necessum est. Divina dicitur oppositè ad humanam, quòd non humana, vulgaris, & localis sit. Aliàs* propriè est divino-humana, & humano divina, prout suppositum DEus homo est. V. t. 89. seq. *Potestas in cælo & terrâ dominium*

minium & vim omnibus creatis adessendi importat. An hic vel ibi facto sit, vel esse velit caro Christi, promissis & institutionibus confirmandum. Quæ de adessentiâ in spatiis extramundanis in Scripturâ nulla. Conf. §.80. 90.

96. 4. Si Christus quà humanitatem ubiq;, aut repletivè, aut definitivè, aut circumscriptivè ubiq; erit. Sed non repletivè, *quia hoc Solius DEI, & infinitatis consequens est.* Nec definitivè & circumscriptivè, *quia hoc in uno spatio ponit, ut non extrà in aliis. E. nullo modo.* R. 1. Non dicimus, Christum hominem ubiq; esse, sed mediatoriè præsentem esse, ubicunque se futurum promisit. *In* Ecclesiâ *gratiosè est*, *in* Sacramentis *Sacramentaliter, inter* hostes *potenter, in* Universo *generaliter, in* Cœlo *gloriosè.* Ultrà, *quia non promissa habemus, definire non debemus, Nec os in Cœlum ponere.* Quia DEus est in cœlis, *i.e. cœlestis*, & Nos sumus in terris, *i.e. terrestres & miseri.* Eccles. 5. v. 1. V. t. 89. 90. 2. Scriptura *adessentiam Christi hominis impletivam vocat.* Eph. 4. *Vnde* quartum membrum *addere possemus*, aut Mediatoriè impletivè, *mysticè, & modo prorsùs singulari.* 3. Definitivè & circumscriptivè ad unum spatium determinant, ut non sit extra, scil. ex Naturâ sui spectata, *& negativè, ut non ubiq; sit.* V. s. 3. §. 27. d. Ess. alic. *Quid tamen* potestate absolutâ *in illis esse queat, hinc non infitiandum.* Conf. t. 58. hu. Tract. Aliud etiam, circumscriptivum esse, *hoc semper Corpus manet*: aliud loco de facto circumscriptum esse. *Hoc à corpore abesse potest. Nihil mirum, si à Christi corpore absit.* Conf. §. 56.

5. Si Christus homo omnipræsens, E. in humanitate nobis non est similis; Nostra enim humanitas non est omnipræsens humanitas, sed ad unum spatium determinata. At est nobis per omnia similis, peccato excepto. Hebr. 2. v. 17. Ergò. ℞. 1. Hoc perindè procedit, acsi sic arguas: Si Christus

ſtus homo ſubſiſtit in hypoſtaſi filij DEi, *eſt Mediator noſter, ſatisfecit pro nobis, ſedet ad dextram DEi, ſuper omnia, quæ nominari poſſunt, exaltatus eſt, non eſt nobis ſimilis. Noſtra enim humanitas non ita ſubſiſtit, non Mediatoria aut ſatisfactoria eſt. Neganda ergò ſequela eſt antecedentis.* Caro λόγȣ, caro noſtra, verè quidē noſtra, ſed jam non in nobis, ſed in Chriſto conſideranda: Non à divinitate abſorpta, conſumpta, aut in eam commutata: Sed in communionem proprietatum ejus asſumpta, *ut* ex Nazianzeno Pelargus Or. d.agn. Paſchali *loquitur*. 2. Nec Chriſtus accuratè loquendo *in humanitate nobis eſt* ſimilis, *ſed potiùs* coeſſentialis & ὁμοȣ́σιος, *non* ὅμοιος. *Nec* Scriptura *ſimilem nobis in humanitate abſolutè vocat, ſed humanitatis infirmitate, tentatione, & carne peccati, ut* Rom. 8. *dicitur.* 3. Nec jam *in ſtatu exaltationis ampliùs nobis eſt ſimilis, ſed Chriſtus & Dominus factus.* Act. 2. v.36. *Et in Dextrâ DEi ſedet, quod nulli angelorum, nedum hominum dictum eſt.* Heb. 1. v.13. *In exinanitione ſimilitudo ab Apoſtolis allegata vigebat: in exaltatione coëſſentialis nobis ſemper manet, ſimilis in qualitatibus infirmis non manet.*

97. 6. Multipræſentia Chriſti hominis extra cœlum evertit humanitatem ejus, & infinitam eam facit. E. *non asſerenda. R.* Minimè omnium, *perinde ac nec alterius Corporis variꝭs in locis ſimùl à DEo ubicati, ut ſuprà fusè oſtenſum,* §. 23. 53. ſeq. *Perinde ac nec hypoſtaſis divina infinita, in quâ humanitas Chriſti ſubſiſtit. Omnia mundi loca & creaturæ adhuc finita. Itâ licet illis omnibus præſentiâ Mediatoria adeſſet, nondum infinita fieret.* V. §. 78. *Quod infinitum eſt, ſemper extitit neceſſariò, nec initium habere poteſt.* V. Taurellum p. 265. ſeq. Trium. *Hoc etiam humanitati Chriſti non competit.* 7. Si Corpus Chriſti ſimùl in pluribus locis, aut eſt in illis eodem modo, aut non eſt. Si non, Sequitur contradictio, & unius

ejusdemq; corporis præsentia præsentiæ repugnabit, & aliter erit in locis, quàm in loco. Pluralitas autem nihil aliud est, quàm unitates aggregatæ. Si eodem modò, Et verum tamen Corpus est, E. nusquam est visibile, suis dimensionibus circumscriptum, *& suâ formâ præditum, hoc est, uno verbo, nusquam est verum Corpus. Sic enim in hoc mundo & Sacramentis à nobis esse dicitur.* Ita Alstedius in Suppl. Cham. d. Euch. c. 5. n. 14. R. 1. Negamus, in re mysticâ modos illos assignari debere, quos in re Naturali assignare solemus, & in quà modos cognitos *habemus, ubi per tales dujunctiones procedere solemus.* V. §. 57. 58. *Præsentia autem Christi* est peculiare mysterium ad mediatorium ejus officium pertinens, t. 84. seq: *In quo dujunctiones in Naturalibus usitatas adhibere fas non est. Vt officium illud mysticum est, sic & adessentia. De quâ non statim inferendum: Aut eodem modo per eam Christus adest, aut non eodem.* Nescire modos in mysticis oportet, non determinare.

2. Est in omnibus locis eodem modo, si generalitatem spectes, *Spirituali nempe, mystico, divino humano, & humano divino, prout ipsum suppositum, quod in plurib. spatijs est, divino humanum est,* §. 84. sequ. Non eodem, *si specialitates. Est in omnibus Vniversali dominio, in Ecclesiâ gratiosè, in Sacramentis Sacramentaliter, in Cœlo gloriosè.* V. §. 96. *Ex his modis* si contradictiones formes, *& in DEi præsentiâ eæ formabuntur. Certum enim, & DEum* diversimodè alicubi esse, *ut in mundo potenter, in fidelibus gratiosè, in Cœlo gloriosè, inter hostes judiciosè. At hic* ex diversitatibus modorum præsentiæ, Contradictiones fingere *impium & ἀθεολογον est. Idem de præsentiâ Christi Mediatoriâ cogitandum.* 3. Corpus Christi ubicunq; est, visibile est, *hoc est,* ut videri possit, *si omnia cætera paria sint: non semper visum aut videndum, ut videatur actu. Hoc* nec gloriosis semper Corporibus *competit.* V. t. 20. Ita per Magicam

vim

vim *Corpora præsentia sisti posse notum, ut actu non videantur, perstrictis spectantium oculis, ne præsens videant.*

98. 8. Christus in statu exinanitionis præsentiam Mediatoriam in Ecclesiâ sine humanitate exercuit, quam tùm uno loco tantùm adfuisse fatemur, nec divisæ fuerunt Naturæ. E. & in statu exaltationis sine illâ eam *exercere poterit, nec dividentur inde Naturæ, nec opus, humanitatem omnibus locis adesse, quibus adest divinitas.* R. 1. Quæritur de præsentiâ Mediatoriâ Christi DEI hominis ê mortuis resuscitati, & ad dextram DEI collocati, *an illa & mediante humanitate exerceatur?* V. t. 81. 84. Aliena ergò â quæsito omnia, quæ de statu exinanitionis adducuntur, quid in illo locum habuerit, *aut non*, etiamsi *hic nihil determinetur.* 2. Non est par Consequentia. *In exaltatione habemus promissum*, Ecce ego vobiscum sum, Matth. 28. *Dominus cooperabatur*, Marc. 16. *Nempè, sedens jam ad dextram Dei*, v. 19. *Quod antea de eo non dictum erat.* Scimus, datam ei, *quà homo est, omnem potestatem in cœlo & terrâ*, nomen *super omne nomen*, exaltatum *esse ad dexteram DEI, super omne, quod nominari potest, &c.* Hæc nondũ in exinanitione dicta erant. *Non ergò, si ibi sine humanitate fuisset præsentia, & hic fore, consequens est.*

3. Negatur Antecedens. *Vbi præsentia Christi Mediatoria promissum extat, ibi & totum eum, DEum & hominem, fuisse credimus. Vt in Ecclesiâ*, Math. 18. ibi sum in medio. In Baptismo, *baptizate in nomen Patris, Filij, &c. Quomodo & versante Christo in his terris discipulos ejus baptisasse* Joh. 4. v. 1. 2. *credibile est.* In Cœnâ, *edite, hoc est Corpus meum.* Hic promissa & personæ, & Corporis, sunt. *Hic Christum hominem & Deum adfuisse credimus.* V. t. 90. *Sed præsentia* hæc valdè particularis fuit. *Ecclesia enim pusillus grex erat*, Luc. 12. v. 32. *Et exeruisse quandoq; Christum particulariter radios majestatis suæ*

etiam

etiam in carne, & statu isto humiliationis, negari non potest, & miraculorum frequentia *docet. Iam autem,* postquam ad dexteram Dei evectus est, subjecta habet universa, omnibus universaliter dominatur, sicq; præsens DEus & homo esse potest, ubicunq; vult, & præsentem se futurum, pollicitus est. 4. Neganda est & illa Consequentia: *Si* citra humanitatem adfuit, E. divisæ fuerunt Naturæ. *Sibi enim semper unitam habuit humanitatem λόγος, nec uspiam verbum fuit, ubi non & humanitas verbo unita fuerit: Et in supposito, Christo, junctæ manserunt:* Etsi creaturis ad extra *non caro semper præsens fuerit, cum plenario majestatis usu in humanitate Christus se evacuaverit.* Philip. 2. v. 6. 7. *Maximè enim diversa præsentiæ genera hæc sunt.* V. §. 93.

99. 9. Præsentia Christi mediatoris, aut eadem est cum DEi omnipræsentia, & sic ad infinita spatia funditur, perinde ac DEi; aut diversa ab eâ, & sic duæ Omnipræsentiæ introducuntur, ac consequenter duo Entia omnipræsentia, *quod adhuc inauditum, & in Theologiâ non ferendum. Duo enim infinita sic introducuntur.* R. 1. Est eadem cum Dei omnipræsentiâ, quantum ad rem: sed non eodem modo ac ratione exserta. *Sic potentia divina unica est:* Sed ad extra diversimodè se exserere potest. Absolutè, *ut in resuscitatione mortuorum, & sic irresistibilis est:* Et mediatè, *per certa media, ut in conversione, & sic resisti ei ab impiis potest.* Esai. 65. v. 3. seq. c. 66. v. 4. Matth. 23. v. 37. Act. 7. v. 51. Similiter *una eademq; præsentia divina diversimodè pro diversis finibus & rationibus sese exserere potest.* Vel absolutè *ad omnia simpliciter creata, & sic in DEo est:* Vel restrictè ad quædam, prout finis & officium mediatorium requirit, *Et ubi promissio data, aut institutio constituta est. Et sic in Christo* Mediatore, *DEO ac homine est, Cujus præsentia Mediatoria est, non Naturalis,* t. 84. seq.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0019291